

rior, præsertim cum reliquorum utilitas ex hoc pendeat. Siquidem in prioribus libris materia præparatur ex qua fiat oratio, in hoc uerò eadem construitur et coagmentatur. Itaque doctissimos uiros huius ætatis intelligimus magni quidem ipsos facere omnia Theodori uolumina, neque dubitare cuius grammaticorum ueterum illum conferre, uel etiam antepone, hunc uerò librum præcipuè laudare et admirari solitos esse. Gulielmum quidem Budæum, seculi nostri decus maximum, tantum audio huic libello Theodori tribuisse, ut putare se diceret nihil unquam in simili genere elucubrari potuisse præclarius, licet obscuriorem esse fateretur. Id quod ex Græcis recentioribus etiam prouerbio notauit Constantinus Lascaris eo, quod in librum Heracliti ab Euripide sibi oblatum usurpauisse olim Socratem memoriæ proditum est, nimirum dicens eum *Δηλίου κολυμβητοῦ δεῖσθαι*; cum alioqui laudabilem imprimis et perutilem, si quis eum intelligat, sibi uidere testatus sit : propterea quòd in eo priscorum Grammaticorum uirtutes adumbratæ sint : tametsi expressas uerius dicere poterat.

Quamobrem pro eo studio Græcarum literarum quo iamdiu incensus eram, sæpe mihi uenit in mentem optare ut hic liber ab aliquo illustraretur eorum qui in eis literis excellenter. Interdum uerò cum in dies fieri celebriora hæc studia illustrioraque uiderem, et multos multa in hoc genere commentari et in uulgus edere, etiam speraui fore tandem ut aliquis mallet de studiosis bene mereri hunc librum explanando quam novos grammaticos libros scribendo post Theodorum : præsertim cum haberet exemplum doctissimi uiri Erasmi Roterodami quod sequeretur, qui, cum alia grauiora studia tractaret, sumere tamen hanc operam uoluit, ut duos priores eius libros illustraret; non tam, ut existimare licet, quòd eos ualde obscuros iudicaret, sicut reuera non sunt, quàm quòd aliquem suo exemplo ad obscuriores eiusdem operis libros explanandos inuitare cuperet, satis habens suum de Theodori libris iudicium omnibus hoc modo testatum relinquere. Cùm autem frustra me aliquandiu ea spes habuisset et iam nonnulla multorum annorum opera et diligentia progressum aliquem in Græcis studiis fecissem, cœpi tandem ipse de eo cogitare quod, si rectè succederet,

